



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

ministraret. Quod idem ille Deiparæ summa cum pietate ac reverentia præstitit. *Beda. Præstat nunc id omnibus Maria.*

S. Stephane gloriose Christi pugil ora pro me Deiparam Alumnam tuam, ut ego unus ex iis esse merear, quorum illa tutelam gerit; habeat illa vitæ meæ necessariorum nunc ita curam, ut salutaris animæ meæ esca mihi morienti non desit in viaticum æternitatis. O Sanctissima Dei, &c. *fol. 190.*

Ad quod impetrandum: pro Deiparæ inimicis convertendis orabo.

Ave gratiâ plena, quæ supercœlestis lætitiæ vas es, nam per te dispensatur gaudium universæ creaturæ, genusq; humanum antiquam humanitatē recuperat. *S. Greg. Thau. l. 2. de Ann.*

Quæstio: Cur Christus non nisi ex Virgine nasci voluerit? *v. Barrad.*

XXVII. DECEMBERIS.

S. Joannes Evangelista, Theologus, Apostolus, Propheta, Virgo, & super hæc omnia discipulus, quem diligebat Jesus æquè ac Maria; semper quidem Deiparam plurimum venerabatur, sed longè id egit impensius, ubi testamento Christi ejus filius factus, ei per omnem reliquam vitam œconomus, custos, sacellanus, filiali semper amore servivit. *Laur. Mase.* Hæc tua quoque Mater erit, si Joannes sis.

S. Joannes dilecte Jesu & Mariæ discipule, meas quæso nunc apud Deiparam partes age, dic: Ecce Mater, adest unus fratrum meorum,
filius

filius tuus, prodigus quidem, sed tu benedic per magnam misericordiam tuam illi. O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Oraturus hodie rosarium semper ad Ave Maria dicam, Maria Mater Dei, Joannis, & mea, gratiâ plena &c.

Ave humani generis Mater, ave terrigenarum omnium oblectamentum, ave fons gratiæ & totius consolationis. *S. Ephr.*

Quæstio: An Joannes à Jesu, an à Mariâ plus dilectus?

XXVIII. DECEMBRIS.

S. Franciscus Salesius Episcopus, juvenis semper corollam Deiparæ publicè gestavit, quam quotidie, sæpe spatio unius horæ impenso, oravit; effrontem fœminæ blandientis vultum conspuit; hunc de prædestinatione anxium Dei Mater est consolata. Orans coram ea cor suum in ara velut victimam deposuit. *Vita.* Hoc solum dignum est Mariâ munus.

S. Franciscus, in cujus pectore cor Seraphini absconditum, pio ingenio, per suspiria se prodidit, exerce in me charitatem, ora pro me Deiparam, ut sanctam & salutarem de salute mea sollicitudinem mihi injiciat, ut negotium hoc omnium maximum cautè tractem, cui soli periculum subest immedicabile. O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Licet me non salvandum scirem, intensius tamen adhuc Mariam amare proponerem.